

Die Urkunden Karlmanns, 43

(C.) Carolomannus rex Francorum vir inluster omnibus episcopis abbatibus ducibus comitibus domesticis vecariis centenariis vel omnes agentes tam presentibus quam et futuris seu et omnes missus nostros ubique discurrentes. Igitur cognoscat utilitas seu magnitudo vestra: venerabilis vir Fulradus abba de basilica peculiaris patronis nostri sancti Dionisiy, ubi ipse preciosus domnus cum sociis suis corpore requiescere videtur vel ipse abba unacum turma plurima monachorum in ipso cenubio degre videtur vel dominum militare noscuntur, missa petitione nobis suggesserunt, eo quod bone memoriae domnus et genitor Pippinus quondam rex vel ceteri antecessores, qui ante ipsum vel nos gubernacula regni Francorum tenuerunt, per eorum oraculis eorumque manus roboratas tale beneficium ad casa sancti Dionisiy concesserunt infra pago Parisiago de illa festivitate sancti Dionisiy patronis nostri in idipso pago Parisiago de omnes negociantes tam Saxonis quam et Frisiones vel alias naciones promiscuas de quascumque pagos vel provincias ad festivitate sancti Dionisiy martyris, tam in ipso mercado quam et in ipsa civitate Parisius de ipsa vice seu per villabus vel per agros, tam ibidem quam et aliubi ad negociandum vel negotia plurima exercendum vel vina comparandum in portus et per diversa flumina, qui ad ipsa festivitate advenerint, ut ipse telloneos in integra de ipsa vice ad casa sancti Dionisiy infra pago Parisiago concessissent vel confirmassent sub integritate; unde et ipsas praeceptiones predictorum et iudiciaria seu et confirmationes anteriorum regum, sicut superius insertum est, nobis in presente obtullerunt ad relegendas. Relectas et percursas ipsas preceptiones seu et confirmationes vel illo iudicio evindicato, quod bone memoriae domno et genitore Pippino quondam rege vel Childeberto necnon et Grimoaldo maiorum domo, quem agentes sancti Dionisiy super agentes anteriorum iudicum evindicaverunt, ipsos nobis obtullerunt ad relegendum. Et postea suggerebat ipse Fulradus vel monachy sancti Dyonisiy et hoc dicebant, ut illi telloneus de illo [mercado] in villabus vel agros eorum totus absque indicis introitum ad casa sancti Dyonisiy adesse debebat; et Fulradus abba seu cappellanus noster iudicium evindicatum seu et confirmatione domno et genitore nostro Pippino gloriosissimo rege per manibus adserit retullisse vel quomodo a longo tempore regum ibidem fuit consuetudo vel ad ipsa casa dei in integritate ipse telloneos fuit concessus vel conservatus. Et dum hac causa sic acta vel perpetrata invenissent por anteriorum regum, tales preceptionis vel confirmationis nobis obtullerunt relegendas. Et denuo iterum concessimus, ut ab hac die nullus ex iudiciaria potestate nec in ipso mercado nec per eorum agros nec portus nec de homines eorum nec eorum negociantes nec de omnes naciones quascumque, qui ad iam dicto mercado adveniunt, nec per villas eorum nec de navigia nec de portus nec de carra nec de saumas nullo telloneo nec foratico nec rotatico nec pontatico nec portatico nec salutatico nec cispitatico nec mutatico nec nulla exacta [nec] consuetudine nec nullus dinarius quattuor de omnes naciones, quod ibidem ad ipso mercado adveniunt, quem Sonachildis et Gairfridus comis, ut supra memoravimus, in consuetudine miserunt, ad ipsos necuciantes nec infra ipso pago Parisiago nec in ipsa civitate de ipsa vice nec aliubi, qui ad ipsa festivitate adveniunt, nulla exacta nec contrarietate neque vos neque iuniores seu successores vestri exigere nec exactare non presumatis, nisi, ut diximus, quicquid exinde fiscus noster forsitan ad parte nostra seu et ad omnes agentes nostros potuerat sperare, omnia et ex omnibus ipse telloneos ad ipsa casa dei in integrum sit concessus atque indultus vel evindaecatus, ita ut futuris temporibus per nostra auctoritate vel anteriorum regum habeant confirmatum vel evindicatum, quia nos propter deum et reverentia praefati sancti Dionisiy martyris seu pro anime nostrae remedium vel stabilitatem regni Francorum

vel proceris nostris et posteritate eorum hoc in luminaribus ad ipsa casa sancti Dionisiy vel ad ipso monachus seu pauperes et peregrinus in nostra elymosina hoc in omnibus concessimus vel confirmamus, ut eis melius dilectet pro stabilitate regni nostri vel pro cunctis leudis nostros domini misericordia adtentius depraecare et ut evis et perennis temporibus ad ipsa casa dei proficiat in augmentum. Et ut hec confirmatio nostra inspectas ipsas preceptionis vel iudicius evindicatus ad domno Pippino rege vel aliorum regum firmior habeatur et circa ipsa casa dei perenniter conservetur, manu nostra subter eam decrevimus adsignare et de anulo nostro subter siggillare.

Signum (MF.) Carolomanno gloriosissimo rege.

(C.) Maginarius recognovi et (SR. NT.: *Maginarius recognovi*). (SI.) Bene valeat.

Data in mense ianuario anno primo regni nostri; actum Salmunciago palacio publico; in dei nomine feliciter.